



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum Societatis Iesv instituit

Ribadeneyra, Pedro de

Coloniæ Agrippinæ, 1602

Carissimis In Christo Fratribvs Societatis Iesv Petrus Ribadeneira S.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45323

4
CARISSIMIS
IN CHRISTO FRA-
TRIBVS SOCIETATIS

IE S V Petrus Riba-
deneira S.



ITAM IGNATII
Loiola, nostra Societa-
tis autoris, omniumq;
nostrum parentis opti-
mi, scribere instituo.

Magna certè prouincia, tantum ex-
cellentium virtutum splendorem ver-
bis non obscurare, & parem rebus scri-
ptionem afferre: Sed in hoc tamen o-
nere ferendo, multa me sanè consolantur.
Primum, quòd illud ego non mea
sponte suscepi: sed illius voluntate ad-
ductus, cuius apud me autoritas est, si-
cut debet esse, grauissima. Nam R. P.
Franciscus Borgia, Societatis nostra
Præpositus Generalis, hoc mihi onus im-
posuit, cuius ego vocem, Christi vocem
putare

putare, eiusque nutus intueri, summa religione, atque obseruantia debeo. Deinde, quod ad Deum, qui mirabilis in Sanctis suis est, & fons atque origo sanctitatis omnis, ex hoc meo labore, laudis aliquid peruenturum confido. Ille est enim, qui religiosa omnia instituta stabilivit: & viam arctam, et portam angustam esse ad beatitudinem docuit: & ne labore, aut perueniendi difficultate deterriti, animos desponderemus, ipsemet, qui & ostium, & via est, dux etiam noster esse dignatus est: & suo exemplo, tum compendiarium, & rectam, tum vero facilem viam, atque expeditam nobis efficere. Ille admirabili prouidentia, omnibus propemodum seculis, atque aetatibus, diuinos quosdam viros, quasi caelestes faces, in terras mittit: ut singulari euangelica disciplina, & Christianae perfectionis ardore flagrantes, ignem illum, quem mittere ipse in terram venit, exsuscitent: & inflammati vocibus atque exemplis, ex igni non finant. Ille

Matth. 7.

Ioan. 1. 9.
& 14.

Apoc. 4.

Ignatium donauit nobis. Quare de Ignatio quæ à nobis dicentur, à Deo profecta, in Deum omnia referantur: cuius tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Quod Sancti ipsi agnoscunt, & testantur, cum ante illius thronum coronas suas capitibus detractas, reuerenter deponunt. Huc accedit cum aliorum, quos permultos esse intelligo, tum verò omnium vestrum, fratres, incensum quoddam hæc audiendi legendiq; studium: cui ego quidē tam honesto præsertim ac pio satisfacere pro mea parte, vehementer cupio. Quis enim cum extremis ijs, calamitosissimisq; temporibus, hanc Societatem Dei Opt. Max. beneficio constitutam, & tam longè lateq; disseminatam, atque breuissimo tempore, toto propemodum terrarum orbe propagatā intelligat, non iure eius ortum, initia, progressionem requirat? Atque hæc quidem ratio fratres, cum ceteris
nobis

nobis communis est: illa præcipua, ut quem ducem sequimur, eius quoque virtutem imitemur. Ut enim illustrium familiarum alumni, suos quoque duces sibi ante oculos ponunt, ut ad eorum normam, vitam omnem suam, & actiones dirigant: sic nos Ignatium, ducem nobis diuinitus datum, & sacra militia nostra antesignanum, & principem proponere nobis debemus: & eminentem illius omnium virtutum formam, moribus si minus exprimere, certe quoad possumus adumbrare. Irit etiam fortasse noster hic vobis non solum utilis, sed etiam non iniucundus labor. Nam qui alicuius vestigia persequi cupiunt, vitæ quoque illius explanatione delectantur: & cum voluptate audimus, quæcum fructu imitamur. Quid illa, quæ extremo loco à me posita, non extrema apud me debet esse, grati videlicet animi pietas, & iucunda quedam eius viri recordatio, qui me in Christo genuit, aluit, educavit & cuius ego pijs læ-

erymis ac precibus meam vitam & salutem acceptam ferre planè debeo? Quamobrem illius vita memoriam, iam prope senescētem, eo etiam ab obliuione hominū vindicare conabor: vt quoniam parem beneficij gratiam referre nequeo, referam certè, quantam maximam possum. Erit igitur meus hic scribendi labor, Deo, vt spero, non ingratus: Ignatio ipsi debitus: vobis, fratres, forsitan fructuosus: alienis minime, vt opinor, molestus: mihi quidem, etsi propter corporis imbecillitatē grauis, propter officium tamen pietatis iucundus: quem spero equidem hac tantarum rerum compensatione leuiorem futurum. Et quoniam historia prima lex veritas est, hoc in primis profiteor, me nihil inexplorati scripturum: sed res mihi notas, certas, testatasq; literis proditurum. Ea enim in medium afferimus, qua nos ipsi aut in Ignatio vidimus, aut ex ipso aliquando audiimus. Siquidem tanta erga me Pater misericordia.

ricordia.

misericordiarū benignitate vsus est, vt me
 puerum, ac vix quatuordecim annos
 natum, nullo meo merito (nondum so-
 cietate nostra à Paulo III. Pont. Max.
 confirmata) ad cognitionem Ignatij,
 atq; ad eam familiaritatem adduce-
 ret, vt ab eius latere non discederem;
 sed domi, foris, omnibus in rebus illi
 praesto essem, eiusq; dicta, facta, vul-
 tum, motus obseruarem, magno certè
 cum animi fructu, magna cum admi-
 ratione. Quae quidem tanto in me quo-
 tidie magis augebatur, quanto & Ig-
 natij virtus in singulos dies magis eni-
 tebat, & mihi eius splendorem, etate
 progrediente, perspicere magis licebat.
 Propter hanc igitur diuturnam con-
 suetudinem & familiaritatem, non
 solum exteriora et aperta cum multis,
 verum etiam interiora & recon-
 dita quaedam Ignatij cum paucis, ex
 ipso saepe cognouimus. Deinde ea di-
 gemus, quae assidua multorum an-
 norum flagitatione victus, & o-
 mnium ferè parum contentione,
 A. S. ipsomet

ipsemet Pater, de vita à se antè acta,
 P. Ludouico Gonzali aperuit: idq; eo
 anno, qui eius mortem antecessit, me-
 ditatò, magnoq; consilio fecit. Nam
 ex quo nostra primùm Societas est in-
 stituta, & clarissimi omnium virtu-
 tum radij, quibus Deus animam serui
 sui Ignati collustrauerat, erumpere,
 atque splendere ceperunt: magno de-
 siderio omnes eius filij affecti sumus,
 ea cognoscendi, quæ ad vitam patris
 nostri moresq; pertinebant. Quibus
 videlicet eum rationibus Deus euocaf-
 set, quibus initijs, medijs, profectibus
 purgasset, illuminasset, perfecisset. Ae-
 quum enim, & rationi consentaneum vi-
 debatur, eos qui spiritualis huius edificij
 lapides essent, scire atq; omnino intel-
 ligere, quibus fundamentis hoc ipsum
 edificium mureretur: & eius potissimè
 Patris vestigijs insistere, quem celestis
 doctrina magistrum, atq; huius via du-
 cem à Deo accepissent. Neq; verò fieri
 poterat, ut probe imitaremur, quæ ple-
 nè nobis

nè nobis cognita non essent. Quamobrem, summa diligentia res omnes Ignatij inuestigauimus, et ex eo ipso, præterita vitæ rationes tantopere audire cupiuimus, postulauimus, efflagitauimus: ipse verò continuis precibus, & ardenti nostrorum studio cessit tandem, & se vinci passus est. Neque enim quæ seruis suis Deus confert beneficia, ipsis solis confert, sed ad multorum etiam vilitatem: & quamuis illi ipsi qui accipiunt, occultent sæpè quæ accipiunt, & silentij & humilitatis vel tegant: Deus tamen illos interdum mouet, & ad proferendum impellit. Ex quo cum beatus Franciscus sacræ stigmatæ, quibus mirabiliter fuerat insignitus, occultare primum quidem vellet, postea tamen dubitare cœpit, ea ne proderet Deo gratius futurum esset? quod cum in consultationem sanctus Pater adduxisset, & ex socijs suis quasiuisset, num. illustrationem quandam, quam à Deo acceperat, pæ-

Benau. in
vita S.
Francisci
c. 13

refacere deberet, an disimulare, ac si-
lento premere? quidam ex socijs re-
spondit, quod à D. Bonaventura ijs
verbis memoria proditum est: Frater,
non solum propter te, sed etiã propter
alios, scias tibi ostendi aliquando
sacramenta diuina: timendum propte-
rea iure videtur, ne si quod pluribus
profuturum accepisti, celaueris, pro ta-
lento abscondito reprehensibilis iudi-
ceris. Hac igitur causa fuit, cur per-
multi sanctissimi viri ea promerēt, &
in hominum vtilitatem proferrent,
que occultè, in secreto cordis, atq; in-
timis animi sensibus à Deo acceperāt.
Immo vero plurimi hac ipsa conscri-
pserunt, & liquidas purissimasq; ani-
mi voluptates, spiritus suauitates, di-
uina planè, & que omnem sensum e-
xuperant solatia, quibus benignissimus
dominus eos excitabat, sustentabat,
inebriabat, & in se (vt ita dicam)
transformabat, literis etiam consignau-
runt. Quæ

rūt. Quæ oīa in tenebris ceriè iacerēt,
 nisi illi ipsi in lucē protulissent: & nisi
 Deus, qui tam liberalis erga illos fuit,
 summa etiam in nos benignitate, san-
 ctos suos permouisset, vt quæ in tene-
 bris acceperant, in lumine dicerent, &
 quæ in aure audyissent, prædicarent su-
 per tecta. Quamobrem, hanc Ignatio Matt. 10.
 etiā nostro mētem iniecit, autorq; fu-
 it, vt de se ipse ea narraret Ludouico
 Gonsaluo, quæ ille accuratè diligētē-
 quē ex Ignatij ore excepit, & totidem
 ferme verbis perscripsit. Eaquē omnia,
 quæ admodū tūc quidē scripta sunt, a-
 pud me habeo. Postremò ea etiam nar-
 rabimus, quæ à R. P. Iacobo Layne,
 Societatis nostræ Præposito Generali,
 vel sermone, vel scripto accepimus: qui
 propter arctissimā cōiunctionē, & sū-
 mam cū Ignatio societate, in perf. rē-
 dis pro Christo & eius Ecclesia immē-
 sis prope laboribus, ipsis illis primis
 iūtijs, cū esset tēpore ex socj. ferè
 prim⁹ ex decem, amore omnium carissi-
 mus filius, multa vidit, multa notauit.

e. i. g.

eaq; in quotidiano sermone, optanti
 mihi saepe narrauit. Ex ijs igitur fon-
 tibus hac nostra manarunt. Quae verò
 incertis autoribus, aut non satis locu-
 pletibus dici poterant, ea ne scribenda
 quidem putauimus. Est enim persua-
 sum nobis, cum in omni re mentiri
 turpe esse, tum verò, in Sanctorum vi-
 ta referenda, turpissimum. Nam ne-
 que Deus, ad gloriam suam illustran-
 dam, mendacijs nostris indiget: neque
 primam & summam veritatem, falsis
 narrationibus & commentitijs hono-
 rare velle fas est. Atque hoc etiam spe
 aggredior maiore ad scribendum, quia
 non de antiquissimi alicuius viri san-
 ctitate mihi agendum est, in quo ve-
 ritati quicquam affingere liceat, ne-
 mine propter vetustatem iam refelle-
 re: sed hac ijs cognoscenda proferimus,
 quorum permulti coniunctissime cum
 eo ipso, de quo loquimur, familiarissi-
 meq; vixerunt: ut summum virum
 ijs qui illum non viderunt, earum qui-
 bus il-

bus ille notissimus fuit, viuorum, &
 presentium testimonio commēdemus.
 De instituto autē nostro, & omni scri-
 bendi ratione, paucis accipite. Ego cū
 initio proposuissem, Ignatij tantum-
 modo vitam conscribere, & præclara
 illius exempla hominum memoria cō-
 mendare, postea tamen animo plus eti-
 am aliquanto suscepi. Nam quod vide-
 rem, ab optimis viris nostriq; amantis-
 simis desiderari, & Societatis nostræ
 ortus, atque progressus cognitionem
 requiri, illud etiam attingere decre-
 ui, breuiterq; explicare. Societatem
 quam longē Ignatius, lateq; propaga-
 uerit, nonnullaq; complecti eorum,
 quæ in vniuersa Societate, dum ille vi-
 ueret, scripture digna mihi visa sunt.
 Quæ quidem, quoniam illo vel duce ge-
 sta, vel defensore propulsata, vel mo-
 deratore constituta sunt, implicata
 mihi cum eius vita, connexaque ita vi-
 debantur, vt seiungi commodè, secer-
 nique non possent. Neque mihi tamen
 has

has

hoc propositū est, omnia vt persequare:
sed vt pauca quadam deligam, qua vel
illustriora sūt, vel Societatis quasi cur-
sum declarant: & qua, nisi nunc recen-
ti memoria, literis consignata sint, ob-
liuione forsitan obruantur. De eorum
Patrum vita, qui primi Ignatiij filij, ac
socij fuerunt, & viuo Ignatio, mortui
sunt; de nōnullis prater ea, qui pro Chri-
sti fide amplificanda, sanguinem pro-
fuderunt, singulatim mentionē facie-
mus: de illis, quia nos genuerūt in Chri-
sto: de his, quia mortem naturę debi-
tam, pro Christo potissimū reddiderūt.
De ijs, qui adhuc viuunt parcè loque-
mur, de mortuis paulò plenius. Ante
mortē, ait Sapiens, ne laudaueris ho-
minem quēquā: quasi dicat, lauda post
vitam, magnifica post cōsummationē.
Reliquum est, fratres, vt Deum prece-
mur, nostris vt cœptis adspiret, & hos
libros quinque quasi minuta quinque,
piè à nobis ad Ecclesie Sanctę edifica-
tionem, in eius gazophylacium oblata,
beni-

benignè ad gloriam suam, atque ad hominum salutem, vtilitatemq; suscipiat. Vos verò, fratres, pro fraterna & mutua charitate nostra, vehementer obsecro, vt à Deo impetretis, vt mihi tribuat summum hoc beneficium, vt Ignatiij morum sanctitatē aliqua saltē ex parte possim imitari. Cuius quidē, si in se deprimendo, constantia; in castigādo, seueritas; in periculis, fortitudo; in turbulentis rebus, tranquillitas; in latis, moderatio; in omnib. pax & gaudium in Spiritu sancto: si denique lectissimus virtutum eius omnium comitatus assiduè nobis ante oculos versabitur, rectissimam habebimus regulā atq; certissimam, ad quam non solum mores nostros, vitamq; conformare, sed etiam verum germanumq; nostrae vocationis spiritum examinare possimus: cuius solida effigies, & expressa, in illius vita planè conspicitur.

VITAE